

Heinrich Rahn    Nicolaus Papke

## **Disputatio Iuridica De Cessione Bonorum**

Rostochii: Pedanus, 1637

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766230430>**

Druck    Freier  Zugang








Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7



Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18







Disputatio Juridica

DE

CESSIONE  
BONORUM:

QVAM

PRÆSIDE

VIRO

CLARISSIMO

DN. HENRICO RAHNEN, J.U.D.  
& Professore in Academ: Rosto-  
chens: ordinario.

*Publice defendendam proponit*

NICOLAUS PAPKE, Megapolitanus.  
Autor & Respondens.

*Ad diem Aprilis*

*Hora locoq; solitis.*

---

ROSTOCHII,

Literis Viduz JOACHIMI PEDANI,

Anno M. DC. XXXVII.



VIRIS

Amplissimis, Consultissimis, Clarissimis

Dn. MARCO Zancken /

Dn. JOHANNI Lutterman /

Dn. BERNHARDIO Klingert /

Dn. NICOLA O Scharffenberg /

Dn. Consulibus Civit. Rostoch. dignissimis & bene meritis, Meccœnatibus & Promotoribus omni observantia colendis.

PRæfatis mihi animus, Viri Ampliss. Consultissimiq; fore ut in reprehensionem ventosorum quorundam hominum, obrectatorum scilicet, incurram, qui ad instar laniorum, qui carnes jugulatis, excoctatisq; animalibus, in frustra secant bipennibus, & in macello venales proponunt, mea fama & laboris (siquidem testante Cic pro Cornel. Balb. communis hujus seculi labes quædam est & macula, ut virtuti invideat) strenui mactatores existant, dum Satyrico dente, Et imprudentiæ, quod in consulta fama cupiditate subnixus ac incitatus, laudem mihi, arrogantiamq; ex harum Thesium compilatione comparare studuerim, & impudentiæ, quod illas insuper nomini A.V. inscribere non erubuerim, me apud non nullos Subrostranos Concives in summum contemptum adducere, planeq; despicabilem reddere, strenue allaborant.

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

Quare quam legem aliis, aut voluntas indicit, aut consuetudo præscribit, eam mihi necessitas imperat, ut scilicet adversus horum convicia & consumelias, V. A. aut horitate me egregie muniam. Nam ut ingenuè fatear, non inane gloriæ aut laudem spero, aut exspecto ex harum Thesium conscriptione: quippè materiam hanc, diu antè à Præclariss. & Præstantiss. Viris doctè satis, pertractatam esse, ut vel laterem lavare videatur, qui laudi sibi illam esse putet, non ignoro. Sed, cum referente Columell. lib 2. Cap. 22. majores nostri, æque tam negarii, quam otii sui rationem dare consueverint, eos saltem intendi mentem, ut ~~mei~~ mei otii, cui citra molestiam temporum injuriâ vaco, V. A. bonisq; omnibus rationem reddere atque afferre aliqua modo possem.

Hac ergò & non alia fiducia ac persuasione fretus, hunc meorum studiorum laborem A. V. offerre atq; inscribere volui, subnixè rogans, ut me adversum hujusmodi malevolos obrectatores, candoris & favoris sui gratiâ protegere, atq; subsidio suo adjutum iri non dedignentur. Dabum Rostoch: è domo mea 17. Mart. Anno 1637.

A.A.A.A. V.V.V.V.

Observantiss. C.

Nicolam Papke Megapolit. A. & R.



DISPUTATIO.

De

CESSIONE BONORUM.

**Q**uemadmodum omni ætate & loco reperiuntur, ejusmodi debitores, qui in fraudem Creditorum, vel dolo, vel culpâ quadam, bona intervertunt aut alienant de quibus *in Tit. Quæ in fraud. credito.* aut die nocteque ludendo substantias suas perdunt, ut loquitur *L. fin. cit. princ. C. de Aleat.* aut vestium conviviorumque luxu, vel aliis etiam modis prohibitis profundunt, & decoquunt. Sic quoque ubique locorum extant, qui casu vel infortunio, præter opinionem & culpam suam eò redacti sunt, ut Creditoribus satisfacere non possint. Priores illi, à consumendo seu decoquendo verè dicuntur Decoctores. In Sacra Scriptura Psal. 37. v. 21. vocantur impii. Neque ullum Legam Civilium auxilium, sed animadversionem magis merentur, ut pluribus ipsa Disputatio indicabit. Contra posteriores potius commiseratione, quam pœnâ digni existimantur. Id quod benè considerantes Legislatores, introduxerunt pro infortunatis illis hominibus beneficium CESSIONIS BONORUM. De quo in præsentiarum pauca dicturi invocamus DEUM Ter. Opt. Max. ut nos ducat in viam veritatis & Justitiæ. Ne autem sine ordine procedamus, volumus proponere. 1. CESSIONIS bonorum definitionem. 2. Fius originem, causam & usum. 3. Formam ac modum. 4. Deniq; ejus finem, & effectum. Esto igitur

A 2

The-



## THESIS I.

Cessio bonorum est actus, quo debitor, qui solvendo non est, omnia sua bona Creditoribus dimittit, ut carceris situm & squalorem, aliasq; molestias evitet.

2. Actum vocamus cum *Bach: ad Treutl. vol. ult. disp. 24. §. 4. lit. E. Majer. in Colleg. Argent. hic th. 2. in fin.* Quia Actus nomen generale est, & omnia, quæ quovis modo sive re sive verbis agi possunt, comprehendit. *leg. 19. de v. s. Rectè etiam dicimus adjutorium flebile, cum Justini in l. pen. C. Qui bon. ceder. poss. aut beneficium miserabile cum eadem in l. ult. pr. & cum Alexand. l. 1. C. d. tit.* Nam verè beneficium est, quia benè facit debitori, ne in carceribus detineatur *l. 1. pen. & fin. C. qui bon. ced. poss.* Verè quoq; miserabile, quia miserum facit cedentem, ex eò, quòd propter tantam ejus pauper tatem & inopiam, ad quam vergit, vix ei dimittatur interula *secundum Baldum d. l. fin. in princ. C. Qui bonis ceder. poss. Ex quo refert Matthe Brunus q. 1. princ. n. 1.*

3. Apparet ex supra posita Definitione, hic nobis sermonem non esse de Cessione Actionum cum in alium jura nostra transferuntur, de qua *in l. pen. & ult. C. Mandat. l. 76. ff. de solution. & alibi.* Cui similis ea perhibetur à *Tholos. in Syntag. Jur. lib. 22. c. 8. n. 6.* qua quis res, de quibus controvertitur, cedit & relinquit actori, ut in Tributoria actio: *l. 7. §. 1. ff. de Tributoria action.* Neque de illa, quæ Cessio in Jure dicitur. *Ulpian. Tit. 19. §. 1. & 8. & seqq. aliquot. Rosin. de Antiquit. Roman. lib. 9. & 10. Cir. princ.* Quamvis Cujacius putet Cessionem bonorum hanc nostram æquè ac illam factam fuisse olim in jure solennibus verbis, *in PARAS. C. Qui bon. ceder. poss.*

4. Examinatâ definitione, consideranda venit Origo causa & usus. Quæ ut rectè intelligantur, meminisse oportet ex *Seneca lib. 3. de benefica.* Æquissimum esse, & jus Gentium præ se ferre, hanc vocem Redde quod debes. Id quod elegantissimis etiam verbis proponit *Cic. 2. officiorum.* Nec ulla res, inquit, vehementius Rempubl. continet, quam fides: quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Ne ergò quis facile fidem falleret, & proximum <sup>circum</sup> conveniret, gravissima olim in eos



in eos qui non solvendo fierent poena statuta est. à Legislatoribus sine discrimine, siue suo proprio, siue fortunæ novercantis vitio bonis lapsi essent.

5. Ipsæ S. Literæ ostendunt in populo Dei exempla, quibus docetur, obæratos debitores eorumque liberos vel venditos fuisse. *Levit. 25. vers. 30. Matth. 18. v. 26. vel à creditoribus in servitutem aut vincula raptos 2. Reg. 4. v. 1. Matth. d. c. 18. v. 30. Quam tamen fœneratorum iniquitatem in Judæis reprehendit Nehemi. c. 5.*

6. Apud Græcos plurimi propter summam inopiam fœneratoribus corpora sua exponebant, ac super his fœnerabantur, donec Solon apud Athenienses introduxerit *Στοιχθεσας*: Sic autem appellabatur corporum possessionumque redemptio, seu debiti remissio. Voluit enim prudentissimus ille Legislator, ut minimè liceret imposterum corpore obligato pecuniam fœnerari, ne fœnere & usuris premerentur cives, ac tandem omnes in servitutem redigerentur. *Plutarch. in vita solon. Laërtii. in Solon.*

7. Similem ferè antea Ægyptiis legem tulit Bochorides, ut scil. solutio ex bonis debitoris tantum fieret, neque corpus creditori addiceretur. Putabat enim oportere, bona tantum subdita esse debitis: corpora verò, quorum operâ & bello & parte uterentur Civitatibus addicta esse. *Diod. Sicul. Biblioth. histor. seu Rer. Antiq. lib. 1. Cap. 3.*

8. Romani diversis temporibus diversa hæc de re observarunt Jura. Servius Tullius, sextus Romanorum, post Conditam urbem, Rex, ait apud *Dionys. Halicar. lib. 4. cap. 12.* Si qui imposterum à fœneratoribus mutuam acceperint, eos ob res in nervum duci non finam: caveboque lege, ne fœneratoribus jus sit in libera corpora. sed contenti sint debitoris facultatibus. Postea *Leg. 12. Tabul.* ita jus erat. Debitoribus damnatis aut confessis, relinquebantur 30. dies conquirendæ pecuniæ causa, quam dissolverent, quibus diebus nihil cum iis agi poterat: postea verò, nisi solverent, liberum erat creditoribus, eos privatâ auctoritate prehendere, & in jus deducere, ubi



creditoribus addicebantur. Creditores eos in vinculis detinebant 30. dies. Tantum enim temporis adhuc ad solvendum seu paciscendum concedebatur. Interea trinis Nundinis continuis ad Prætores in Comitium (quod est locus, in quo Populus universalis suffragii causa conveniebat) producebantur, ibique quantæ pecuniæ judicati essent, prædicabatur. Tertiis autem Nundinis capitis pœnas dabant, aut publicè vendebantur. At si plures forent, quibus reus esset judicatus debitor, in partes ipsum secare permittebatur, ut ita cuique creditori pro debito suo quasi satisfaceret. *Vid. Gell. 20. Noct. Att. c. 1. cir. fin. Jung. Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 6. c. 10.*

9. Sed ad hanc ultimam Legis partem, qua nihil immittius & inhumanius, nunquam perventum esse probat Cælius Iustus apud Gell. d. loc. & Quintil. lib. 3. c. 8. scribens: Eam uti naturâ non laudabilem, ita moribus repudiaram esse. Prior verò pars Leg. 12. Tabul. quæ de vinculis & venditione agit, frequentissimè apud Romanos usurpata fuit. Debitores enim damnati, si Iudicatum facere non possent, addicebantur creditori in servitutem, qui eos postea vel vendere, vel ad operas præstandas in ergastulum trudere solebant. *Hotto. quæst. Illust. cap. 26. Heig. part. 1. quæst. 35. n. 27. Dionys. Halicar. hanc remita, describit. Impotenter & immoderatè se gerebant fœneratores, & in nervum abducebant obratorum corpora, quibus non aliter utebantur, quam emptitiis lib. 5. c. 53. Et lib. 6. c. 23. è privatis ædibus nexi ob æs alienum propiciebant se in publicum squalido capillitio, catenis & pedicis vincti plerique Jun. c. 70. Eod. lib. 6. Tit. Liv. Dicad. 1. lib. 2.*

10. Quin non tantum obrari ipsi sed & filii eorum in Republ. Romana (ut de aliis taceam) creditoribus addicebantur. *Teste Eod. Dionys. Halic. lib. 6. c. 23. Ubi miles emeritus conqueritur, se, cum solvendo non esset, ductum à fœneratore unâ cum duobus filiis in servitium. Unde Plaut. in pœn. ait.*

Ubi in jus venerit.

Addicet Prætor totam familiam tibi.

*Jur. Novell. 134. Cap. 7. Et id ipsum Ambrosius, primum Liguriz*



6  
gure pteses, post Medionalensis Ecclesie Antistes, ita describit. in lib. de Tob. c. 8. Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctorem deduci, & teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis: & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Instat, urget, addicit. Mea inquit, nutriti pecunia pro alimonia, servitutem agnoscant, pro sumptu licitationem subeant &c. *Jun. Ejud. lib. de Naburthe c. 5.*

ii. Diu autem, & quidem tempore Jctorum adhuc dura hęc animadversio, sine distinctione in debitores duravit, uti patet ex *Gellid. loc.* Ubi Caelius Jctus. inquit. Addici nunc & vinciri multos videmus: quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt.

12. Non autem possumus non adducere unum atque alterum hujus servitutis exemplum. Quorum primum est in T. Veturio, qui propter domesticam ruinam & grave æs alienum C. Plotio nexum se dare admodum adolescentulus coactus est. *Val. Max. lib. 6. c. 1.* Secundum extat apud *Liv. Decad. 1. lib. 8.* & imprimis ob id notandum, quod mutationi hujus severitatis ansam dederit circa annum Urb. CCCCXVII. Eo anno (verba sunt Liv.) Plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est, quod necti deserunt. Mutatum autem Jus ob unius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papyrius is fuit, cui cum se C. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset. Quæ ætas formaque misericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis ejus fructum adventitium crediti ratus, primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus: dein postquam aspernabantur flagitium aures, minus territare, atque identidem admonere fortunæ: postremo cum ingenuitatis magis, quam præsentis conditionis memorem videret, nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, cum se in publicum proripisset, libidinem, crudelitatemque conquerens fœneratoris: ingens vis hominum concurrat &c. ac paulò post: Victum eo die ob impotentem injuriam unius ingens vinculum



tam fidel: Jussique COSS.ferre ad populum, ne quis, nisi qui  
noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in  
nervo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus  
obnoxium esse. Ita nexi soluti; cautumque in posterum, ne  
necterentur, h. e. ne ob debita à Creditore in compedibus aut  
nervo vincti ac clausi tenerentur.

13. Fuere tum temporis Consules C. Petilius & L. Pa-  
pyrius, à quibus hæc constitutio Lex Petilia & Papyria dicta est,  
*Hott. d. c. 26. Val. Forst. in Histor. Jur. Civil. Romæ. lib. 1. c. 26. n. 11.*  
Vocatur etiam Lex Popilla, à C. Popilio Conf. qui longè post  
illos vixit. Propterea forsitan, quod ob fœneratorum malitiam  
& petulantiam neglecta, renovata per eum fuerit. Et ita intelli-  
gendum putamus *Varronem. quando Lib. 6. de Ling. Lat. ait.* Liber  
homo, qui operas suas in servitute, pro pecunia quam debet, dat,  
dum solyret; Nexus vocatur, ut ab ære obætatus. Hoc C. Po-  
pilio rogante, Dictatore Sylla sublatum ne fieret, & omnes qui  
bonam copiam egerant, ne essent nexi. *Hott. d. c. 26. Giphan. de*  
*ord. Judic. Lib. 1. c. 27.* (Egerare autem copiam, explicat *Hott. d. loc.*  
quod sit jurare se nihil in bonis habere, unde dissolvi æs alie-  
num possit) ubi etiam distinguit carcerem à nexu & compedi-  
bus, & vult hæc esse sublata L. Popiliâ. Carcerem verò privatû,  
seu custodiam in Creditoris domo, usque ad L. Juliam perman-  
sisse, *per. l. 1. C. Qui bon. ced. pess.* A quo non planè dissentit *Bach. vol.*  
*3. ad Treut. Disp. 24. Thes. 4. lit. B.* statuens Legib. aliis potissimum es-  
se sublatas additiones in servitutem, non autem simpliciter, ut  
Debitores in carcerem conjicerentur: Idque inde constare,  
quod ex L. Julia, per cessionem demum carcer evitetur *d. l. 1.*

14. Et quamvis præter illam mitigationem, de qua jam  
diximus afflictis debitorum rebus & rationibus quandoque  
succursum sit.

15. Vel Novis Tabulis, uti liquet ex *Dionys. Halic. d. 1. 6. &*  
*Liv. d. Lib. 2.* Tabulæ Novæ appellabantur & conficiebantur, quan-  
do debitores absoluebantur, per sanctionem quandam à credi-  
tis pecuniis, earumque usuris. Seu tabularum novarum nomine  
indigi-



Indigitabatur Lex, quæ ferebatur de ære alieno relaxando & ab-  
olendo. Dicitur aliàs æris remissio, apud *Halic. Lib. 7. c. 7. in princ.*  
Græcis, ut supra notavi, dicta fuit *επιχειρημα* vel *χρεωκομία*. Quæ  
Lex, s; p; Romæ lata, maximas turbas creavit, ut videre est apud  
*Dioni. Halicar. lib. 5. c. 73. & seqq. aliquot & lib. 6. c. 19. 20. 23. & 24. at-*  
que alibi. Deque harum novarum Tabularum iniquitate benè  
differit *Cic. 2. offic.* Licet iis crebrò usi sint quidam principes de a-  
lieno nimis liberales. *Covar. 2. vari. Resol. c. 1. n. 1. v. fo-*  
*mile ferè.*

16. Vel aliò quoquam beneficio: quale est æstimatio præ-  
diorum seu possessionum, cujus autor fuit Jul. Cæsar. Ipse e-  
nim in *princ. lib. sui 3. de bell. Civil.* ait. Cum fides totâ Italiâ  
esset angustiior, neque creditæ pecuniæ solverentur, constituit,  
ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum  
& rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque ex  
creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem novarum tabu-  
larum tollendum, minuendumque, qui ferè bella & Civiles  
dissensiones sequi consuevit, & ad debitorum tuendam existi-  
mationem esse aptissimum existimavit. Idem paucioribus ver-  
bis tradit *Sueton. in Julio c. 42.*

17. Attamen vel carcer, ut ex *Horo.* jam dixi permansit,  
vel rigor Juris prioris de vinciendo debitore revocatus aliquo-  
ties fuit: cujus rei argumentum præbet C. Manlius in sua lega-  
tione ad Q. Martium Regem apud *Salust. in conjurati. Catil.* quan-  
do ait: Neque cuiquam nostrum licuit, more majorum lege  
uti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere: tanta s; -  
vitia fœneratorum & Prætoris fuit. Hæc ille. Donec tandem  
lege Juliâ (lata à Jul. Aug. ut volunt: *Giph. d. cap. in prin. Val.*  
*Forst. lib. 1. Histo. Jur. Civil. c. 31. n. 26. & alii.* Licet nonnulli adscri-  
bant J. Cæsari, inter quos est, *Tholos. in Syntag. Jur. lib. 22. c. 14. &*  
*Hott.* dubius sit, ad quem referti debeat *d. q. 26.*) hoc nostrum be-  
neficium de cedendis bonis pro debitoribus, qui solvendo non  
essent, introductum est. Cui supervenit demum Jus illud 'ex-  
positum in *Novell. 135.* de quo infra forsân dicendi locus.



18. Legis Juliae beneficium primum non latè patuit da-  
tumque tantum Italiae : sed postea etiam ad provincias por-  
tectum fuit constitutionibus Principum. l. 4. prin. C. b. t.

19. Cum autem eo multi abuterentur, Imperator Gra-  
tianus id valdè coercuit, & sanxit, ne debitor bonorum cessione  
uti posset, nisi qui calamitate & casu quodam majore, ut nau-  
fragio, incendio, latrocinio, vel hostium incurfu bonis fuisset e-  
versus. l. 1. C. Th. *Qui bon. ex L. Jul. ced. poss. lib. 4. Jas. in S. ult. Inst. de ac-  
ti. n. 18. Tholos. in Synrag. Jur. lib. 22. c. 9. n. 13. Matt. Brun. hic q. 5. quarta q.  
prin. & Bèn. strac. de Decret. par. 3. n. 1* Ubi ex Bald. ait  
Cessionis beneficium esse miserorum, non dolosorum prae-  
sidium.

20. Sed hanc Gratiani legem, licet Just. improbasse vi-  
deatur, ac libertatem veterem cessionis L. Juliae inductam con-  
firmasse, cum eam non retulerit in suum codicem: tamen nul-  
libi apparet, quod voluerit prodigis, lurconibus, & fraudatori-  
bus succurrere.

21. Permissa igitur est Cessio, & à lege indulta debitori,  
qui citra suam culpam lapsus est bonis, tam privato, quam pu-  
blico. l. 2. l. 3. C. h. t. *Giph. de ord. Jud. lib. 1. cap. 27.* Publicum hic in-  
telligit non omnem fisci debitorem, sed eum qui ex contractu  
fisco obligatus est. §. 8. *Inst. de Societ. Matt. Brun. de Cess. bonor. q. 9.  
quarta q. prin. n. 5. Schneid. ad §. fin. n. 4. Inst. de Actio.* Vel qui ob  
administrationem onerum civilium tenetur, d. l. 2. & 3. C. b. t.  
*Jun. l. 9. §. fin. ff. ad L. Jul. Pecul. Tholos. d. l. 22. C. 10. n. 4.* Addi  
etiam posset, qui ob collectas & tributa imposita ob paupertate-  
m solvere nequit. *Bald. in l. 1. C. b. t. n. 7. Thol. d. loc.* De hoc  
enim sancitur in l. 2. C. de *Exact. Trib.* Ut non quidem Carcere,  
sed custodia liberâ militari contineatur, & si porro contumaci-  
ter nolit conferre, bona ipsius distrahantur. Ex quo effici pu-  
tat *Basb. ad Tr. vol. ult. Disp. 24. Th. 4. lit. C.* multo magis liberari de-  
bitorem, si cedat bonis.

22. Communis tamen opinio est, quod ob collectas & tri-  
buta, quis bonis cedere non possit, vel potius non teneatur, per  
h. §. C. b. t. ubi, *Bald. Jas. in §. fin. n. 4. Inst. de Act. Schneid. ibid. n. 4. Brun. d.  
q. 9. quarta*



¶ *q. quaut & q. Prin. Tholof. d. loco ubi ait: ita observari in Curis Regni Gall. Giphon d. c. 27. Et licet d. l. 5. C. h. t. pertinere videatur ad impensas, quas vocatis ad honores facere incumberebat: tamen ratio ejus huc accommodari poterit. Quod scilicet invidiosum sit ita onerare subditos, ut bonis cedere cogantur: cum potius onera illa pro modo substantiæ exigere debeant, quod vocant secundum æs & libram, seu pro solido & libra. Unde qui nihil habet, nihil dat. Quum ergo non metuendus ipsi sit carcer, juxta d. l. 2. C. de Exacti. Trib. non est, cur ad cessionis remediū confugiat. Bach. d. loc.*

23. Porro datur hoc beneficium tam filiosam, sive habeat, sive non habeat peculium castrense, vel quasi castrense, vel adventitium vel profectitium. l. 7. C. h. t. l. 30. ff. de pecul. Azon. Sum. C. tit. nostri. quam patrifam. Neque masculi tantum, sed etiam femine admittuntur d. l. 7. C. h. t. Brun. q. 1. quartæ q. princ. Zas. S. ult. Inst. de act. n. 4. Et hoc propter rationem in lege allegatam, ne scilicet injuriam patiantur.

24. Quando verò dicimus mulierem posse cedere bonis, non volumus quod ad evitandam custodiam cedere teneatur: Vel quod, si non cedat, carceri mancipari queat. Hoc enim est prohibitum l. 1. & Auth. seq. sed hodie C. de offic. diverso. judic. quæ auth. desumpta est, ex Novell. 134. c. 9. jung. Auth. Hodie C. de Custod. reor. (quibus tamen hodiè nos non uti dicit Giphon d. c. 27. pag. mihi. 212.) Matt. Brun. d. loc. VVes. in d. hic n. 3. in fin. Quod etiam de Jure Sax. obtinet in femina obzærata, & non solvendo existente, ut tradit gl. Latin. ad Tex. Germ. Landtrechts lib. 3. art. 39. lit. 4. post princ. Georg. Schulk in Synops ad S. ult. Inst. de Act. pag. mihi. 609.

25. Ecclesia quoque si solvendo non sit, hoc utitur beneficio. Novell. 3. in Procem. vers. cum verò Deo. Schneid. S. ult. n. 4. Inst. de Acti. Idque ad quamcunque Universitatem à Dd. porrigitur. prout Zas. in Inst. n. 4. notat. Hanc ibidem addens rationem: quia si hoc indultum est Presbyteris & Ecclesiæ, in quibus exuberare debet fides arg. l. Presbyter 8. C. de Epis. & Cler. quantò fortius hoc debet concessum esse populo, & prophanis.

B 2

Tam



Tam singulis quam Universitatibus. l. e. Civitatibus & Principibus & Ecclesiis permittitur cessio ait *Giph. d. 6. 27. pag. mibi 213.*

26. Q. An Doctores, & Professores, possint cedere bonis? In qua quaest. dicendum putamus, ut antea de cessione mulieris, quod in egestatem conjecti cedere possint, si velint: non autem teneantur, ad evitandos carceres: quippè in eos conijci non possunt, pro debito civili. *arg. l. 6. C. de Profes. & Med. Brun. q. 10. quart. & q. princ.* Quod privilegium non perdunt, si non cedant bonis. Quod etiam pertinere ad Advocatos veros & laudabiles colligitur *ex l. Sancimus 6. & l. 14. C. de advoc. diver. Judicior.* Non verò ad eos Doctores, qui mercaturam vel alias negotiationes viliores exercent, probat *Brun. d. q. n. 17. per l. 3. C. de Commer. & Mercat.* Quemadmodum milites armati negotiantes, militiam privantur. *l. unc. C. Negot. ne milit. Jun. l. 15. C. de Re milita.*

27. Et hi quoque milites aliàs non tenentur cedere bonis ad evitanda vincula: quia ob debitum non solutum non conijciuntur in carceres, sed habent privilegium competentiae: h. e. tenentur tantum in id, quod facere possunt, deducto ne egeant. *l. 6. in prin. l. 18. ff. de Jud.* Quorum Il. argumento extendunt gl. & Dd. communiter ad Professores & Doctores beneficium competentiae, ob comparationem eorum cum militibus armatis, militiae. Quibus tamen contradicit *Zaf. in d. l. miles 6. n. 8. in fin. de Re Jud.* ex hac ratione, quod illa extensio sine lege fiat.

28. Similiter clerici cedere bonis non tenentur. *Brun. q. 3. prin. n. 10.* sed fixere alieno se exonerare nequeant, praestant idoneam cautionem, de solvendo imposterum, si ad pinguiorem fortunam devenerint. *C. Odoardus. 3. Extr. de Solut. (cujus capituli dispositionem hodiè non in usu esse, asserit Giph. d. loc.) Zafius ad l. miles 6. n. 8. de Re Jud. Menoch. de Arb. Jud. qq. Cas. 183. n. 24. Bach. vel. ult. ad Treut. Disp. 24. Th. 4. lit. b.* Et quidem ex eadem, qua priores, ratione, si *Bart. & alii in d. l. 6. de Re Jud.* credimus, qui Clericis, seu militibus caelestis militiae tribuunt beneficium competentiae.



6  
petentia. *Iunge. Covar. 2. Var. Resol. c. r. n. 4. idem sub distinctione paterentem. licet planè denegat, ipsis Dnar. in d. l. 6.*

29. Annoverantur his personis maritus ab uxore, cum ob dotem, tum ex aliis contractibus conventus, propter idem competentia privilegium *l. 20. ff. de Relud.* Quod cum suis limitationibus latè tradit *Brun. q. 20 quarta, q. princ.* Et idem in muliere æquâ lance servari, æquitatis suggerit ratio. *d. l. 20. in fin. de Re Iud.*

30. Pertinet itidem ad hanc classem fœcer, cum quo ex promissione dotis agitur. *l. 21. ff. solut. matrim. l. 21. ff. de Re Iud.* Cum quibus tamen h. conjungenda est distinctio, inter casum constantis matrimonii, & dissoluti: ut illo quidem beneficia competentia habeat pater uxoris, hoc vetò regulariter nō habeat, *ex. l. 22. ff. de Re Iud. & l. pen. sol. matrim. Bach. d. loco. vid. Brun. q. 22. quarta q. princ.*

31. Huc denique referuntur donator, qui inops ante traditionem rei donatæ factus est *l. 19. §. 1. l. 49 & l. seq. ff. de Re Iud.* & omnes hi, qui beneficium competentia habent, seu in id saltem, quod facere possunt, condemnantur, de quibus vid. *l. 16. ff. de Re Iud.* Condemnari verò sive teneri in id, quod quis facere potest, est ita teneri aut condemnari, ut condemnato, licet plus debeat, relinquatur ad honestè vivendum & egestatem vitandam necessaria. *l. 19. in fin. & l. 30. de Re Iud.* In eo itaque iudex personæ ejusq; dignitatis rationem meritò habet. *l. 137. pr. ff. de Re Iud. Bach. d. disp. Tb. 4. lit. b.*

32. Huc usque partim de iis, qui tenentur cedere, seu quibus necessaria est cessio, si velint effugere carcerem, partim de his quibus licet, seu qui possunt. Nunc aliquot casus referemus, in quibus non possunt debitores, etiam si velint, cessionem amplecti, sed propter inopiam in carcerem trahuntur.

33. Inter hos primum locum habeat debitor, qui dolose negat debitum, præsertim qui cum juramento negat: nec ei prodest, quod postquam convictus est, & condemnatus, confiteatur il-

B 3

tur il-



tur illud, si repugnet Creditor *Arg. l. 34 C. Locat. Arg. l. 16. §. 1. de fidei  
juss. Bald. in l. 1. n. 1. C. h. t. Tholos. in Syntag. Iur. l. 22. C. 11. n. 15. Las. in §. fin.  
n. 16. Inst. de Act. Brun. q. 2. princ. n. 6. Secus est, si usq; ad sententiam  
justam causam habuerit dubitandi, vel diffidendi *arg. l. 21. ff. Usur.  
Bald. & Tholos. d. loc.**

34. Deinde cessionis remedio privatur, qui occultat  
fraudulenter quædam bona, quando cedit. *arg. l. fin. §. 10. in fin. C.  
de Iur. delib. Las. ad §. fin. n. 8. Inst. de Actio. Zas. ibid. n. 5. Tholos. d. c. 11. n. 17.  
quia subtrahens ex bonis similis est neganti. l. 68. in fin. ff. ad  
L. Falcid.*

35. Similiter qui tempore contractus scivit, se non esse  
solvendo, & tamen sub spe cessionis, mole alieni æris se obruit,  
ad miserabile hoc beneficiū nō admittitur. *arg. l. penult. in fin. ff. De  
Iur. dot. Zas. ad §. fin. in fin. Inst. de Actio. Schneid. ibid. n. 10. Brun. q. 30. &  
31. quartæ q. prin. Tholos. d. lib. 22. c. 9. n. 10. Quod ita limitandum erit,  
si debitor expressè fuerit in dolo, & habuerit animum fraudandi  
creditores l. non fraudantur. 134 ff. de R. Iur. l. 51. pr. ff. de Re Iud. Tholos.  
d. loc. Bach. d. Disp. Th. 4. lit. K. Cæteroque sperare quis potest, se ex  
pecunia mutuò accepta lucrum capturum, & tantò facilius cre-  
ditoribus satisfacturum.*

36. In hoc ordine meritò collocantur decoctores, quos &  
conturbatores à rationum & fortunarum quotidiana contur-  
batione vocat *Benven. Straccha. in Tract. de Decocto. in præfat.* Hi enim,  
qui neque tempus, neque finem expensarum habent, sed  
bona sua dissipando profundunt, ut loquitur l. 1. ff. de Curat. fur.  
dan. & interim decipiunt homines, contra regulam Apostoli, 1.  
ad Thessal. 4. v. 6 cum in leges variè peccent, earum auxilio sunt in-  
digni. l. 37. in fin. ff. de Minorib. Tholos. d. lib. 22. c. 9. Coth. vol. 1. Resp. 19. n.  
11. & seqq. Siquidem decipientibus jura non subveniunt C. cum u-  
niversarum §. de Rerum permut. Rectè igitur furibus comparantur  
ejusmodi decoctores in *Reformationib. Polit. Augusta anno 1548. &  
Francosurtæ 1577. factis sub. Tit. von verdorbnen Kauffleuten §. 1.  
in fin.* Furti enim nomine intelligitur omnis illicita usurpatio  
rei alienæ *Can XI. c. 14. q. 5.* & jure meritò puniuntur, secundum  
dictas Imperii sanctiones,

37. Nec



37. Nec malè huc quadrat illud vulgare, quod aliàs in criminalibus regulare est. Qui non habet in ære luat in corpore *arg. l. ult. ff. de in ius vocand. l. i. §. ult. in fin. ff. de Pen.* Quod optimè intellexit Alphonfus Rex Arrag. Nam is quibusdam pro equite, qui ingens patrimonium per luxum & libidinem absorbuerat, atque insuper magnam æris alieni vim contraxerat, intercedentibus respondit: Si tantam pecuniam vel in sui regis obsequium, vel patriæ commodis vel sublevandis propinquis impendisset, audirem utique. Ut ex ejus *Apophregmatis autore Anton. Panorm. editis*, refert *Covar. Var. Resol. lib. 2. c. 26. n. 9.*

38. Hinc moribus receptum est, ejusmodi rationum deturbatores, & fraudatores non solvendo existentes, in carcerem publicum, *Schuldthurmb* detrudi, & eleemosynis publicis aliquemadmodum in nonnullis Bataviæ inferioris urbibus, Parisiis, & per totam Galliam, ac quam plurimis Germaniæ nostræ locis observatur. Idque utilissimum & perquam necessarium institutum esse, ait *Mynsin. §. fin. Inst. de Acti n. 17.*

39. In quibusdam locis usitatum est, ut ipse creditor suis sumptibus debitorem captivum sustentet. Quod ex *L. 12. Tabula* adhuc observari ajunt *Coler. de Process. Executi part. 1. c. 6. n. 107. & Maj in coll. Argen. hoc tit. th. 7.* nisi consuetudine sit introductum, ut carceri, pro debito pecuniario inclusi vivant ex Eleemosynis transeuntium. *Col. d. loc. n. 108. Iason quidem in §. item si quis 6. n. 93.* non videt quid in illo priori casu captivitas debitoris profit creditori. Sed respondet *Benev. Strac. de Decod. par. 3. n. 10.* Prætozem non tam emolumentum actionis intueri in eò, qui exutus est bonis, quam pœnam. *ex l. fin. §. ult. ff. Quæ in fraud. Cred.*

40. Quod si verò debitori alimenta deficiant, & nec creditores, nec judex ea suppeditare velit, dimittendum potius, quam fame ipsum necandum esse, notat *Mollerus in Semest. lib. 1. c. 36. n. 2. Coler. d. c. 6. n. 103. & 104.* Idque etiam publicâ hujus provinciæ Megapolenfis constitutione, maximè quo, ad decottores comprobatum, & non ita pridem effectui datum esse, testatur



Rat. Lind. in suis Exercitiis. Iustiniane. Diss. de Actio. Thef.  
ult.

41. Sunt & alii, qui partim fortunæ, partim suo vitio decoxere, quod non raro contingit. præsertim in iis, qui transmarina negotia per ministros aut institores gerunt in aliis regionibus, quam in quibus ipsi morantur. Et hos admittam culpam deploratos, ac miseratione, & consequenter cessione indignos redere putat *Strach. de Decoxt. par. 2. n. 2. in fin.* Verum, cum propter varias circumstantias, hi omnes non æqualiter rei existimari queant, iudicis arbitrio relinquendum est, an fortunæ vitium, an propria culpa præponderet. *Mai. in d. coll. Arg. hic th. 6.* Atq; huc rectè accommodari poterit, quod dicitur in fin. *C. ult. Extr. de Transact.* In his super quibus jus non invenitur expressum, procedas, æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas & causas, loca & tempora postulare videris.

42. Neque possum non mentionem facere Argentariorum, qui non tantum apud Romanos, rei nummarie negotiationem olim publicè tractabant: Sed & hodiè in multis Europæ provinciis, & temporis rei nummarie præsumunt. Habent in foro seu publico loco tabernas & mensas suas, ad quas fœnori accipiunt pecunias, & erogant. *l. 9 §. 2. ff. de edend.* (interdum in Rom. Repub. sine fœnore deponerentur saltem pecuniæ apud mensam, ob publicam fidem *l. 24 §. 2. De Reb. aut. Iud. poss.*) Uadè in Jure nostro varia habent nomina. Dicuntur enim Nummularii *in d. l. 24. ff. de Reb. aut. Iud. poss. Gl. 47. §. 1. ff. de Pactis.* Argentariæ mensæ præpositi. *Novell. 136. c. 4.* Exercitores ejusdem *l. 4. pr. ff. de Edendo & alibi aliter.* Eorumque officium publicam habere causam, inquit *Gajus in l. 10. §. 1. ff. de Edend.* Et hi si mensam subvertunt, à quo apud Gallos Banquieroutiers & apud nos corruptè *Bancrottiers* vocantur; si dolosè foro cedunt, ut loquitur *Ulpian. in l. 7. §. 2. ff. de depositi. h. e. actum suum deserunt & solum vertunt, (actus dicitur ipsorum officium in l. 10. §. 1. ff. de Edend.)* quod plerumque fit cum multorum pernitie, fidem fallunt publicam. Quantò igitur magis peccant, tantò minus digni sunt



sunt beneficio cessionis. *Tholos. d. lib. 22. c. 9. n. 11.*  
& 12.

43. Nolo hic silentio præterire, in plerisque Germaniæ civitatibus notissimo usu, seu potius abusu, omnes debitores, nullâ habitâ distinctione, quomodo rem fidemque perdidissent, ad cessionem bonorum admitti. Quod quomodo Juri conveniat, ex prædictis patet.

44. Præterea non possunt cedere bonis, qui ex crimine obligati sunt ad multam pecuniariam, sive fisco, sive parti applicandam. *Jason. ad S. fin. n. 13. Inst. de Act. Schneid. ibid. n. 6. Tholo. d. lib. 22. c. 10. in prin. Covarr. 2. Var. Resol. c. 1. n. 8. vers. hæc verò: ne delicta maneat impunita. Hic enim valet; qui non habet in ære, luit in corpore. Jung. Zas. ad d. S. fin. Inst. de Act. in fin. Neque casus posterior, quando scil. privato multa addicenda est, dubius est ob id, quod ibi multa satisfactionem, & id quod interest, respectu agentis, saltem complecti videatur: siquidem ob delinquentis culpam multa vera pœna censetur, & ultionis vim habet. Ideoque reus, qui solvendo non est, aliâs secundum arbitrium discreti judicis puniatur. *cap. 5 Extr. de dol. & contum. Non tamen in hac specie mutetur multa in corporalem pœnam, nisi 1. Actor consentiat in mutationem. Hoc enim volente expectanda est pinguior rei fortuna Tholos. & Covar. d. loc. 2. Multa proveniat ex facto, quod dolum, vel culpam continet. Nam ex quolibet damno nobis illato, quod ut quasi delictum, vel ut noxam persequimur, irrogatam multam, (si multa semper cum *Covar. d. loc. vers. & ideo dicenda est*) in pœnam corporalem mutari sine discrimine posse, durum esset.**

45. Similiter is, qui Quinquennales inducias ad solvendum, vulgò *Quinquenel* oder *Anstandbriefe* / de quibus agitur in *l. 5. c. de precib. Imper. offe. l. ult. C. h. t. & Ord. Polit. Augusta. Vindel. reformatâ anno 1548. & Francofurti anno 1577. Tit. Von verdorbenen Kauffleuten* / aut ab Imp. aut à creditoribus impetravit, nec intra, nec post quinquennium ad cessionem amplius venire potest. Secundum *Bald. in d. l. fin. n. 2. C. h. t. Brun. q. princ. 27. Zas. l. ult. n. 7. ff. h. t. Schneid. S. fin. n. 5. Inst. de Act. Mynf. ibid.*

C



*ibid. n. ult. Tholos. d. lib. 22. c. 7. n. 4.* Ne abutatur privilegio moratorix dilationis in fraudem creditorum *Tholos. d. l. 22. c. 15. n. 4. in med.* qui duplici onere non sunt gravandi.

46. Nolo hic longius divagari, sed religioni iudicis committo cum *Tholos. d. l. 22. c. 9. n. 19.* perpendere causas, propter quas beneficium cessionis mereatur debitor: nam casus repentini, vis major, incursum latronum, & cœtera fortuita digna sunt, quibus releventur debita. At misereri certè eum non oportet, sed potius irasci, & carceres inferre, prodigalitate, luxuriâ, & cauponationibus aliena profundentibus.

47. Verùm non incommodè jam quæritur. An debitor cessionis possit renunciare: vel, an pacto tolli possit hoc beneficium. Certè ambigua hæc quæstio est. Nos negativæ calculum adjicimus, cum *Covar. 2. Var. Resol. c. 1. n. 7. Tholos. d. l. 22. c. 15. & Bach. vol. ult. ad Treut. disp. 24. th. 4. lit. E.* ubi ait: si aliter statuamus, nullo negotio hoc beneficium eludetur, maximè si ipsi contractui initio renunciatio additur: quoniam homines egentes, & in futurum melius sperantes nihil recusant. Et hanc opinionem communiorè & receptiorè dicunt *Covar. d. loc. & Celer. de Process. Execut. lib. 1. c. 6. n. 44. & 96. jung. Dd. in l. alia. 14 §. 1. ff. Solut. matrim.* Eamque Cameram esse securam, testatur *Gail. de Pace publ. lib. 2. c. 2 n. 23.* Licet affirmativa & rationibus, & autoritatibus multis nitatur.

48. Multo minus valet pactum, seu conventio, quâ se debitor, nisi solverit, ad carcerè obligavit, nullo præcedente processu. *l. 3. pr. ff. de O. & A. l. 71 §. 2. ff. de Cond. & Demonst. Bald. in Autb. Imo à debitore C. De oblig. & Act. Covar. d. loc. vers. primum & vers. quinto Gail. de Pace publ. d. c. 2. n. 21. & 27. Bach. d. loc.*

49. Quid igitur de obstagiis sentiendum? Obstagium, vulgò *die Leistung* est quando debitor, vel fidejussor ejus se obligat, quod, si definito tempore non exsolverit, hospicio certò, certoque loco suis sese sumptibus sistere velit, tot vel tot equis & personis, non recessurus, donec solutio integrè facta fuerit; idque interdum sub certa pœna. Præterlapso jam termino solationis, statim ira obligatus admonetur per creditoris



ditoris literas, ut stet promissis (wird in die leistung gefodert) quæ si intervertit, vel multa, si quâ pollicitus est, unâ cum debito exigitur, vel, ut scribit *Gail. d. cap. 2. n. 6.* famolis picturis publicè ubique affixis mirabiliter traducitur.

50. Et ejusmodi obligationes probat *Jus Can. c. Ex re- scripto 9. Extra de Jurejur.* Easque olim in Germania inter nobiles fuisse frequentes docet *Gail. d. c. 2. n. 6.* neque repugnatunt legibus Imperii, uti apparet ex *Ordin. Polit. de Anno 1548. sub tit. Von wucherlichen contracten.* Inde approbatæ sæpius, & multis præjudiciis confirmatæ sunt in Camera *Gail. 2. obser. 45. & d. lib. 2. de pac. Publ. c. 2. n. 5.* Imò non planè improbandum esse jus obstagii aliquot rationibus ostendit *Köppen in suis desis. 9. 3 Jun. Coler. de Procef. Execut. part. 1. c. 8.* Sed tamen Imperii lege, videlicet *Reformat. Polit. de anno 1577. tit. 17.* propter abusum & scandala publica planè abrogatum est, vid. *Gail. dictis loc.* Licet in *Hollatia* adhuc inter nobiles in vigore sit, teste experientiâ.

51. Neque mirum hoc, & durum cuiquâ videatur: siquidem statuta, & Jura municipalia reperiuntur, quibus cessionis via omninò intercluditur, & debitor vel capitaliter punitur, vel præcisè ad carcerem ire, vel denique creditori servire cogitur. Illud apud *Indos* locum habere testatur *Alex. ab Alex. lib. 6 Genial. dier. c. 10.* *Indis*, inquit, qui creditum moratur, à creditore reus agitur, mox præfixâ die, si non solvit, manu truncâ & oculo effosso, morte afficitur. Istud in multis *Italix* civitatibus receptum esse, ait *Mench. de arb. Jud. qq. lib. 2. cas. 183. n. 9* *Leidæ* ostenditur lapis, quem vocant *Saxum Cœruleum*, in quo olim, si quis civis, ære alieno obrutus, in judicio bonis omnibus excidisset, Prætor duob. cum Scabinis & Actuario constitutus, ter circû idem saxum, deduci reum jussit, rogavitque toties circumstantes, num quis esset, qui jubere fide vellet. His & aliis quibusdam solemnibus peractis, ni inventus sponsor, debitorem civitate exiit, qui tum comprehensus, in custodiam fuit missus. *Joan. Meurs. in Athan. Barav. lib. 1 c. 16.* Hoc in *Hispania* juris esse testatum facit *Mench. d. Cas. n. 3. & Covar. 2. Var. resol. 6. s. n. 5.*

C 2

Nec



Nec dissimile statutum est apud Moscovitas. Inter illos enī  
fr̄quis pauper ari alieno astrictus, creditori solvendo non sit,  
abducit illum creditor, atque eo usque in opere faciendo exer-  
cet, vel alteri operam obarari elocat, donec operando debitum  
persolvat. *Clemens Adam in Angelor. Navig. ad Moscov.*

52. Sic quoque ex dispositione juris Saxonici veteris, de-  
bitor non solvendo existens, condemnabatur ad manus credi-  
toris, cui licebat deinceps debitorem vel in compedibus, vel  
ad operarum præstationem detinere. *Landtr. lib. 3. art. 39.* Cujus  
hæc sunt verba. *Wehr da schulde fordert vor Gerichte  
auff einen Mann/ der nicht gelden mag/ noch Bürgen setzen/  
der Richter soll ihn dem Mann antworten für das Geld/denn  
soll er halten gleich seinem Gesinde/ mit Speis vnd mit Arbeit.  
Will er ihn denn spannen mit einer Halden/ oder mit einem  
Fessel/ daß mag er thun/ anders soll er ihn aber nicht peinigen..  
jung. Weichbild, art. 27. cir. fin. Coler. de Process. Execut. par.  
2. c. 3. n. 160. & c. 6. n. 125.* Sed postea in terris Electoris Saxonici  
hæc pœna abrogata, & in ipsius locum per Augusti Nov. Constit. par.  
2. Const. 22, §. Vnd nach dem wir/ publicus carcer introductus  
est. De quibus vid. *Georg. Schulz, ad §. fin. Inst. de Acti. lit.  
bb. pag. mi 606.* Et hoc ipsum ad fraudulentos decoctores restri-  
ctum esse, ita ut hodiè in jam dictis Electoris Provinciis infortu-  
nio depauperatus possit uti cessionis beneficio, probant tum ex  
*d. Nov. Const. 22. d. §. vnd nachdem & §. fin. tum præjudiciis & ob-  
servatione. Ernest. Corb. 1. Resp. 19. in fin. Georg. Schulz, ad §. fin.  
Inst. de Act. pag. mihi 612. jung. Heig. q. 35. n. 42. & seqq. part. 1. Fer-  
mè cum jute Sax. vet. convenit Jus Lubecense lib. 1.  
Tit. 3. art. 1.*

53. In Germania ex consuetudine debitores, ut supra  
dictum, in carcerem abripi, aut arresto detineri magistratus au-  
toritate posse, affirmat *Gail. d. lib. 2. de Pac. Publ. c. 2. n. 9. & 23.* Et no-  
tandum, inquit *Rittershus in Expos. Nov. par. 2. c. 3. n. 23.* nostris mo-  
ribus



6  
ribus beneficium L. Juliz cedendi bonis, atque ita carcerem evadendi, multorum locorum statutis vel consuetudine sublatum esse, ut Norimbergæ, & aliis in urbibus, ubi florent mercatura: & interest, istud beneficium, quod à multis in abusum traheretur, planè tolli propter utilitatem commerciorum, & ut fides tanto magis servetur hominumque industria excitetur.

54. Quid verò, si lege Municipali expressè cavetur, ut debitor, qui non est solvendo, in carcerem ducatur; anne censetur omninò exclusa cessio? Eiusmodi statutum tacitè hanc admittere interpretationem, nisi debitor bonis cedat, existimant *Bald. in l. 1. n. 3. C. h. t. Brun. q. 3. princ. n. 3. C. h. dic. Resp. 19. n. 3.* Quemadmodum statutum, quod indefinitè decoctori pœnam irrogat, non esse trahendum ad eum, qui fortunæ vitio decoxit: ne æquitati repugnet, secundum quam impium & inhumanum videtur, fortunæ telis vexatum puniri, & nocentium odio innocentes prægravari. *l. 22. C. de pœn. C. non debet 22. de R. I. in Sex. 29. Benven. Straccha de Decoct. par. 4. n. 2. & 4.*

55. Hactenus de Definitione, origine, causa, & usu: nunc de modo, & forma Cessionis bonorum, quod tertium est hujus disputationis membrum, videndum.

56. Modus cedendi ubique non unus idemque est. Romæ Leo marmoreus ante Capitoliæ januam erat positus, quem sedere volens natibus percutere, & clamare debebat: cedo bonis, ut refert *Brun. q. 6. prin. n. 5.* Inde in tota ferè Italia mos inolevit, ut cedens bonis in publico loco lapidem natibus percutiat, dicendo, cedo bonis. *Jas. ad S. fin. Inst. de Act. n. 29. Brun. d. 4. Tholos. d. l. 22. c. 11. n. 9.* Narrat idem *Tholos. ibid. ex Paul. Cast ad l. in omni C. h. t.* in quibusdam locis morem esse circumducendum, qui cedere vult, per civitatem cum rubis & vituperio ad locum, in quo cedat. Quibus non absimile est statutum, quod *Brun. d. q. 6. n. 5.* Arnimi in patria sua extare testatum facit: recognito debito, inquit, coram iudice, & indicatis omnibus bonis,



cum juramento afferens se velle bonis cedere, exiit ad inter-  
tulam usque, & sic exspoliatus cum sono tubæ ad ipsum judicem  
ducitur, ad lapidem magnificum prope palatium, & ibi super  
lapidem ter ponit se ad sedendum cum ano nudo, dicendo ter,  
cedo bonis. Apud Bæotios, qui æs alienum non dissolvisset,  
in foro cedere cogebatur, & circumstante plebe in os corbem  
accipere: quâ nulla fuit ignominia major. *Alex. ab Alex. lib. 6.  
c. 10. Gen. dier.*

57. Lege aliquantum mitiori in Gallia, ut nemo nisi præ-  
sens, & in judicio, discinctusque ac nudâ cervice bonis cedat,  
fancitum esse per Ludovic. XII, anno 1512. testantur *Theos. d. c.  
11. n. 4. & Duar de Cess bon. cap. 2.* Ubi addit hoc constitutum esse in  
eum finem, ut hujus ignominix & dedecoris metu, pauciores  
in perniciem creditorum, ad tam fœdum & miserabile substi-  
dium confugerent. *Zaf. ad Rubr. ff. de Cess. bon.* scribit, in Sueviæ  
civitatibus quibusdam consuetudinem hanc esse, ut in conspe-  
ctu populi collocetur debitor bonis cedens super lapide ad  
curiam: Constantiæ autem poni tribunal pro domo cedentis.  
Multis quoque in locis, teste *Giph. d. lib. 1. de Ord. Jud. c. 27.*  
is qui cedit, clave in ostio domus relictâ, discedit, vacuus, &  
inanis.

58. Hæc & ejusmodi alia statuta, ut maxima ex parte sunt  
contra bonos mores, & turpia, sic juri nostro communi contra-  
ria, secundum quod fit cessio solâ voluntatis professione. Nec  
quidquam interest, in jure (id est coram judice) an extra jus,  
præsens an absens, seu per epistolam quis cedat *l. ult. ff. l. in omni  
6. C. h. t. l. 2. C. Theod. eod.* si modò agnoscat debitum, vel in Ju-  
re confiteatur, vel condemnetur *l. pen. h. t.* Ubi *Azo in prin.*  
ait: ante debitum liquidatum non auditur volens cedere  
bonis, sed post liquidationem in judicio, vel extra, aut per sen-  
tentiam factam.

59. Quod si verò creditor consentiat, ut fiat cessio in de-  
bitum illiquido, eam admittendam esse à judice, cum creditor  
hic favori pro se introducto renunciaret (non poterit enim, si  
forsan totum debitum non consequatur, postea in residuum de-  
bitorem



bitorem convenire) nisi iudex vereatur collusionem, fraudemve aliquam inter creditorem & debitorem, tradit *Zaf. d. l. pen. n. 2. h. t.*

60. Præter hæc, apud illos, qui de cessione bonorum scripsere, reperiuntur septem requisita ad cessionem necessaria. 1. Ut à iudice postuletur. 2. ut causâ cognitâ decernatur. 3. Ut creditores instant, & solutionem urgeant. *Brun. q. 7. quart. q. princ. Jaf. ad S. fin. Insti. de Acti. n. 17. Ibiq; Schneid. n. 15.* propterea quod hoc beneficium miserabile non, nisi ob necessitatem, concedi debeat: & quod interfit Reipub, ne quis ultrò sua bona dimittat, *Jaf. & Schneid. d. loc.* 4. Ut creditores citentur, de quo *Brun. q. 9. pri. 5.* Ut fateatur & probet debitor se esse pauperem & insufficientem ad solvendum. *Brun. q. 25. prin. 6.* Ut debitor bona omnia indicet. *Bald. in l. 1. n. 2. C. h. t. Schneid. ad S. fin. Insti. de Act. d. n. 5. Ibid. Mynsen. n. 10. Tholos. d. lib. 22. Cap. 11. n. fin.* Idque mediante juramento *gl. in l. penul. ibiq; Zaf. n. 5. h. t. & cum eo Hering. de fidejuss. cap. 5. n. 81.* 7. Ut cautionem præstet idoneam, se in posterum bonis auctum velle satisfacere creditoribus, si solidum non consequuntur *Menoch: de arb. Jud. qq. Caus. 183. n. 20. Vvesenb. hîc. num. 5.* Eamque fidejussoriam seu pignoratitiam, si fidejussores & pignora habere potest. *Tholos. d. lib. 22. cap. 11, n. 14. Hering. de Fidejuss. c. 5. n. 88. & seqq. aliquot.* Cum verò cedens ob inopiam apertam vix invenit fidejussores & pignora, quæ aliàs regulariter ad idoneam cautionem requiruntur. *l. 59. in fin. ff. Mand. l. 4. §. 8. ff. de fideic. libert. sufficet juratoria. Covar. 2. var. Resol. cap. 1. n. 5. in fin. Tholos. d. Cap. 11. n. 14. Brun. q. Princip. 7.* Etenim & hæc sub vocabulo cautionis generaliter sumpto comprehenditur. *l. plus 25. ff. de R. I. l. 3. ff. de V. S. Tholos. d. loc.* Et probat *Hering. ex Raph. Seisero. decreto quodam in Camera Imperial. anno 1510. juratoriam cautionem exactam esse d. Cap. 5. n. 98.*

61. Sed horum requisitorum tertium & quartum incepta sunt, & supervacanea: quandoquidem nemo tam stultus reperitur, qui bonis cedere velit, nisi gravissimâ egestate & necessitate



Statute coactus. *Giph. d. lib. 1. de ord. Jud. c. 27.* Reliqua aliena sunt à Jure nostro, licet moribus, & statutis ex glossis recepta, & approbata.

62. Primum enim quod attinet, non necesse erat impetrare hoc beneficium à magistratu, vel principe, cum ipso jure ex L. Jul. debitori competat. Sic quoque eo, quod in quarto requisito dictum fuit, non erat opus, cum extra judicium cessio fieri possit solâ voluntatis professione. *l. fin. ff. & l. 6. C. h. t. vid. Th n. 58.* At ut dixi in *th. preced.* moribus alius receptus est ceden- di modus: siquidem in Germania nostra postulanda est cessio, & in jure tantum, siue coram actis facienda, præsentibus credi- toribus.

63. Secundo requisito adjungi potest & illa quæstio: An litis contestatio requiratur ad cessionem? Et nec causæ cogni- tionem, nec litis contestationem requirere hic Jura videntur: cum cessio sit actus debitoris, qui sit *μὴ ἀπὸ πλειόνης*. Ideoq; litis contestatio esse nequit, ubi nulla lis est: nec causæ cogni- tio, ubi nulla controversia. Tum olim apud Prætores hoc ne- gotium, si dubium circa cessionem occurreret, tractabatur; & eò, propriè loquendo, non fiebat litis contestatio. Sed tamen procul dubio, ubi, an cessio bonorum admittenda esset nec ne, controvertebatur, contradictio & causæ cognitio intercessit; quia forsitan creditores propter qualitatem personæ vel debiti, aut a- lias causas cessionem non esse admittendam contendebant. Eam igitur contradictionem non ineptè Dd. appellare censentur litis contestationem. *Bach. d. Disp. 24. th. 4. lit. E.* Et hodiè audien- dos esse creditores causam allegantes, ob quam rejici debeat cessio, *Duar. hic c. 2. in fin. Majer. in coll. Arg. hic th. 11. n. 4.* docent.

64. Sextum ex eo sine dubitatione receptum est, ne quis- quam occultet, & dolum committat cedens, eoque se indignum hoc beneficio reddat, *arg. l. 37. in fin. ff. de Minor. cap. Quia frustra 14. Extr. de Usur. & Can. 60. c. 11. q. 3.* Quemadmodum perdit benefi- cium Falcidix hæres, qui in inventario quasdam res malitiosè omi- sit *arg. Nov. 1. c. 2. §. 2. Schneid. ad §. Extraneus n. 16. & 17. Insti. de hered.*  
quah



6  
qual. & dif. Cæteroquin nullâ certè id lege confirmatur. Et ipse Bart. ad l. pen. in fin. h. r. dubitat, quando cogitate de eo jubetur. Jung. Giph. d. c. 27. pag. mi. 218.

65. Sic septimū in quoque nec lege, nec ratione aliqua probatur. Quæ enim pro eo afferri solent argumenta, à diversis sunt omnia, & de illis, qui bona sua tetinent. Is autem qui cedit, non retinet bona, & nihilominus certo jure in residuum, & in quantum facere potest, manet obligatus. l. 4. & 6. ff. l. 7. in fin. C. h. r. Ad quid igitur prodest cautio? quæ nihil aliud poterit operari, quam obligatio pristina. Et planè beneficium cessionis tollere videtur, qui pignora, vel fidejussores à cedente exigit, cum nec pignora dare possit, qui bonis omnibus cessit, nec quisquam facile pro eo fidem interpositurus sit Vid. Giph. d. c. 27. Bach. d. rh. 4. lit. F. & G.

66. Sed sit ut sit; uti statutis, & consuetudine priora illa, sic & hoc requisitum ex Interpretum gloss. introductum, & approbatum est. Idque in hac provincia requirit expresse Die Hoffgerichts Ordnung. art. 45. Et in hac Civitate die Gerichts Ord. par. 1. tit. ult.

67. Reliquum est caput de cessionis fine, & effectu. Finis summus, ac principalis effectus est liberatio, & securitas à carcere, vinculis & omni corporali cruciari l. 1. & ult. in prin. C. h. r. l. 1. C. Theod. Eod. Nov. 135. c. 1. ibi dum corporis supplicium ipse remittitur. Adeo ut etiam ante cessionem intrusi in carcerem, eò liberentur. Giph. d. c. 27. Schneid. ad S. ult. n. 2. Inst. de Acti.

68. Præter hunc alter, & quidem respectu debitoris effectus est, quod quidem nec naturalis, nec civilis obligatio penitus tollatur; sed quod durante inopiâ suspendatur ejus effectus. Tholos. d. lib. 22. c. 13. n. 1. Jas. ad S. fin. n. 2. Inst. de Act. ibique & alii. Brua. q. prin. 19. n. 3. Bach. d. rh. 4. lit. F. & G. In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest: ut ita videatur magis obligatio cessare, quam extincta esse, quemadmodum loqui-

D

101



tur Paul. in l. 98. §. ff. de solut. Quia, qui bonis cesserint, verba sunt  
Alex. in l. 1. C. h. t. nisi creditor solidum receperit, non  
sunt liberati: sed iterum si bona naſti fuerint, conveniri possunt,  
l. 4. ff. h. t. §. ult. Inst. de Act. de quo infra plura.

69. Liberatur itaque cedens interim ab obligatione & ac-  
tione l. 17. in princ. ff. de Recep. qui arbi. tantum ope exceptionis.  
l. ult. §. Inst. de Replicat. Gothaf. in d. l. 17. Et præter supra all. Dd.  
in th. Præced. Giph. d. c. 27. Schneid. ad §. fin. n. 3. Inst. de Act. Quæ  
se tuetur, si l. ex contractu, qui cessionem rerum anteceſſit, &  
2. super rebus antè eandem acquisitis conveniatur l. 3. C. de bono-  
aut jud. pas. In contractu igitur sequente cessionem, nihil  
hæc exceptio proderit cedenti. d. l. 3. Giph. d. loc. Brun. q. 17.  
princip.

70. Cæteroquin eâ se defendere potest adversus omnes  
creditores, quorum in nominibus erat tempore cessionis, si ve  
insisterint & impulerint illum ad cedendum, si ve postea super-  
venerint. Et ita accipiendam esse l. 4. §. 1. h. t. cum gl. & Giph. d. c.  
27. puto. Idem sentit Zas. in d. l. 4. n. 2. ubi ex hac decisione tradit  
limitationem ad regulam: res inter alias gestas, non posse no-  
cere alteri r. t. C. Int. al. act. vel jud. Ejusque hanc annectit ratio-  
nem: quod cessio sit res individua, & neminem dicendum ces-  
sisse in partem, qui simpliciter cessit.

71. Fidejussori autem cedentis omnino denegatur hæc  
exceptio, §. ult. Inst. de Replic. Propterea, quod exceptiones, quæ  
personæ cujusque coherent, ad alios non tranſeant. l. 7. ff. de  
Exception. l. 60. ff. de Fidejuss. Accedit ratio, quod satis superque  
excusso principali per cessionem, ad fidejussores ire, ordo juris  
permittit. Nov. 4. c. 1. Aut. Present. C. de Fidejuss. d. §. fin. Inst. de  
Replic. in fin. Brun. q. 8. princ. Thelos. d. lib. 22. c. 12. Coler. de Process. Exc-  
cut. part. 1. c. 6. n. 124.

72. Illud



72. Illud quoque non prætermittendum arbitror, quod hæc exceptio opposita impediatur litis contestationem, siue annu-  
merandam eam esse exceptionibus litis finitæ. *Brun. q. 16. prin. Giph. d. cap. 27. Covar. lib. 2. var. Resol. c. 1. n. 6.* Ubi addit, hoc ab omnibus communiter receptum esse. Existimo tamen hoc ita limitandum esse, si cessio ita notoria sit, uti offensa notoria dicitur. *in Cap. cum olim 24. Extra. de verb. sig. vel in continenti possit probari. arg. c. 10. Ext. de fil. Presbit. Me-  
sch. de arb. jud. qq. lib. 2. cas. 19. Zas. in l. pen. C. ult. n. 2.* hanc ponit limitationem, nisi debitum fuit in cessione liquidatum, exceptionem illam, litem non impedire,

73. Tertius à parte debitoris cedentis effectus cessionis exserit se in bonis post eam acquisitis. De his enim rursus conveniri potest, non quidem in solidum, sed quantum facere potest. *S. ult. Inst. de Act. l. 4. ff. h. r. l. 7. C. eod.* si modò tanta sint bona, ut Prætor, vel Præses digna judicet, quæ distrahantur *l. 7. ff. de Cess. bon. vel quæ dignum emolumentum habeant, ut loquitur Just. in S. fin. Inst. de Acti.* Nam si modicum aliquid acquisivit, iterum bona ejus venire non debent *l. 6. ff. de cess. bon. l. 3. C. de bon. auct. jud. poss.*

74. Quomodo verò Judex seu Prætor, cujus arbitrio hæc res meritò committitur. *arg. l. 6. & 7. h. r. Brun. q. 29. prin.* æstimare debeat, an debitor multum vel modicum acquisierit post cessionem; id docet *d. l. 6. ff. h. r.* Bona videlicet postea quæ sita æstimanda esse ex quantitate, i. e. ex proventu seu redditu annuo: non ex qualitate, i. e. pretio seu valore. v. g. si venditis bonis pretium forsitan esset 500 sed non venditis; fructus aut reditus essent tantum 300. Vel si pauper aliquis agricola possit se, suamq; familiam ex fundo quodam sustentare, quem si venderet vix quinque, aut decem haberet; tum sane judex in priori casu secundum posterius, in posteriori casu secundum prius arbitretur. *Bart. d. l. 6. ff. h. r. ibid. Zas. n. 7. Bald. in l. fin. n. 6. C. h. r. Brun. q. 28. & 29. prin. Giph. d. c. 27. lib. 1. de Ord. jud. eod. que respiciat, ut nec delicatus debitor, nec onerosus creditor audiatur: consideret etiam sta-*



tum conditionemque personarum *Bald. d. loc. ubi & de illis rebus:*  
explicat textum, quæ pretiosæ sunt ratione affectus & honoris;  
non fructuosæ ratione commoditatis *Jas. ad d. l. 6. in fin. Brun. q.*  
*29. princ.*

75. Quare si quid misericordie causa cedenti fuerit relin-  
ctum, puta menstruum vel annuum, alimentorum nomine: vel  
si usus fractus ei sit concessus, aut legatus, ex quo tantum perci-  
pitur, quantum alimentorum nomine satis est. Non oportet  
propter hoc bona ejus iterato venundari *d. l. 6. ff. h. t.* Facit hoc  
commiseratio, & humanitas, ne afflicto addatur afflictio: &  
ne semel excussus ac spoliatus omnibus fortunis suis, in solidum  
damnetur. *d. S. ult. Inst. de Act. ibique Rittersh. Covar. 2. var.*  
*Resol. c. 1. n. 6.*

76. Parit igitur cessio bonorum debitori in bonis pos-  
sita quæsitis beneficium competentis, seu exceptionem quod  
facere possit, contra creditores, quibus obligatus erat ante  
cessionem, si ipsum super residuo conveniant. Ii enim, cum  
quibus contraxit post cessionem, possunt eum in solidum con-  
venire. *arg. l. 3. C. de bon. aut. Jud. poss. Jas. S. fin. n. 4. Inst.*  
*de Acti. & ibi Schneid. n. 3. Myns. n. 3. & 4. Tholos. dic. lib. 22.*  
*c. 8. n. 7.*

77. Cum autem ratione hujus beneficii, qui cessit, si su-  
per residuo de novo conveniatur, retinere possit alimenta, seu  
quæ sibi ad sustentationem sunt necessaria, non incommodè  
quæritur: An in hac alimentorum detractioe personæ, di-  
gnitatis, liberorum, &c. sit habenda ratio? Et dicendum quod  
sic, per *l. 173. in prin. ff. R. l. arg. l. 1. S. 9. Gl. 4. S. 1. ff. de vent. in pos. mit. &*  
*arg. l. 10. S. fin. ff. de alim. legat. Jas. ad S. item, si de dote. 37. n. 7. Inst. de A-*  
*ction. Matt. Brun. q. 30. prin. ubi n. 3. ait.* si nobili, doctori, militi so-  
lùm sic consuleretur, ne mendicaret, & sic, quod duntaxat vi-  
ctum haberet, hoc non diceretur esse absque dignitatis ejus de-  
decore. *jung. Eiusd. q. seq. 31. prin. & Giphon. d. c. 27.* Si gitor scholaris,  
aut miles cessit bonis, ac postea hic arma, ille libros emat, neu-  
ter potest iis privari, sub hoc colore, quod ad ampliorem for-  
tunam pervenerit. *Bald. in Rub. C. h. t. Jas. ad S. fin. n. 6. Inst. de Acti.*  
*Schneid. ibid. n. 16.*

78. Quæ



78. Queritur item de prerogativa creditorum, quoad bona post cessionem parta, an in iis cessione posteriores debeant praeferrri prioribus; an hi illis? Sunt referente Giph. d. 106. qui praeferrunt posteriores. arg. l. 3. ff. Quod cum eo, qui in alien. potest. ut Cyn & Alberic. n. l. 3. C. de bon. aut. jud. pos. Sed priores praeferrri verius puto, per regulam vulgarem: Qui prior tempore, potior Jure, l. 11. Et l. 14. ff. Et l. 8. C. Qui pot. in pig. hab. Quam ex materia pignorum huc accommodat mecum Giph. in jam all. cap. 27. & Johan. Mich. Beuter. in suis Consult. sive Resp. de praelat. jure lib. 1. c. 87. fol. mihi 132.

79. Quartus effectus respectu cedentis est in societate: nam si quis ex sociis cesserit bonis, & ideo ejus substantia veneat, solvitur societas. S. item si. 8. Inst. de Societat. l. 65. §. 1. ff. Pro Soc. siquidem non potest esse bonorum societas, si unus bona non habeat, Giph. d. cap. 27. cir. fin.

80. Quintus est, quod post cessionem non possit agere, cum suis creditoribus, l. 17. prin. ff. de Recept. qui arbitr. Unde & sextus profluit, quod compromissum solvatur. Nam arbiter, in quem cum alio. ante cessionem compromiserat, non cogitur, facta cessione, sententiam dicere: quia inanis esset, & irrita, sive contra illum. sive pro illo pronunciaretur, qui neque agere, neque conveniri potest, d. l. 17. de Recept. arb. Brun. q. 9. prin. n. 19.

81. Septimus a parte cedentis est effectus, quod ipsi seruerur fama, & exstimatio l. 11. C. Ex. quib. caus. infam; irrog. l. fin. in prin. ibi: salva eorum existimatione C. h. t. Apud Romanos. L. Roscia (a Lucio Roscio Tribuno Pleb. sancita) decoctoribus bonorum obzatis, quamvis fortunae vitio, non suo decoxissent, erat in Theatro publice separatus ab omnibus locus quatuordecim graduum. Cic. Philip. 2. Adrian. imper. decoctores si suae auctoritatis essent, catamidiari, i. e. deridendos, & ludibrio habendos omnibus praebere & dimitti jussit. Ael. Spartian. in ejus vita. Hercule, vctba sunt Cic. pro Quinct. cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama & existimatio, cum bonis simul possidetur: huic, inquit paulo post, acerbissimum vivo videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quo non amici conveniunt



niunt ad exequias cohonestandas, sed bonorum emptores, ut  
carnifices ad reliquias vitæ lacerendas, & distrahendas.

82. Verùm, satis arbitrati sunt Legislatores, affligi debi-  
torem inopiã: quandoquidem hæc per se durum telum est, eòque  
gravior, quod in cessionis actu publicã confessione propaleretur.  
Quorum illud satis exprimitur apud *Horat. quando lib. 2. Carmi.  
Od. 24. canit:*

Magnum pauperies opprobrium, jubet

Quicquid vis & facere, & pati.

& in l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest. ubi perpetuã egestate sordentes per-  
hibentur tales, quibus mors est solatium, & vita supplicium.  
De hoc dicunt Imp. in l. 2. prin. C. Quam & quib. quart. pars. deb. &c.  
Quid tam durum, tamque inhumanum est, quam publicatione  
rerum familiarium paupertatis detegi villitatem; vel, ut loqui-  
tur *Alexand. in l. fin. C. de aliment. pupili. præst.* suspectum æs alien-  
num pandi. Noluerunt igitur, ut præter reliqua mala cedens  
infamiã notaretur,

83. Non interim negari poterit, quod cessio pudorem  
aliquo modo sugillet, & maculam quandam adspergat, quam in-  
famiam facti dicunt. Quod probatur *Nov. 135. in prin. ibi.* ad i-  
gnominiosam vitam, & *Cap. 1. in verb. hujusmodi contumeliis*  
*uti, & paulò post: ad mortem usque premi opprobrio ignomi-*  
*niæ. Cujac. ibid. Tholos. d. lib. 22. Cap. 11. n. 8. VVesemb: in x. hic n. 6. cit.*  
*fin. Bach. vol. ult. ad Tr. disp. 24. rh. 4 lit. a. b. Giphon. d. c. 27. in fin. lib. 1. de*  
*ord. Jud.* Elegans hujus rei habemus exemplum in *Crasso*, apud  
*Val. Max. lib. 6. c. ult.* Huic enim pecuniæ magnitudo locupletis no-  
men dedit, sed postea inopina turpem decoctoris superlationem  
injunxit. Siquidem bona ejus à creditoribus, quia solidum præ-  
stare non poterat, venierunt. Ita quoque amarã sugillatione  
non caruit: quia cum egens ambularet, dives ab occurrentibus  
salutabatur. *Juvenal. Satyr. 3. ait,*

Nil habet in felix paupertas durius in se,

Quam quod ridiculos homines facit.

84. Neque majori infamiã aut turpitudine affectos esse,  
quorum



quorum bona post missionem distracta sunt, ex edicto ullo, ullâ  
vé lege, disertè probare potest *Giphan. & Bach. d. Jaci.* Frustra  
igitur essem, si vellem ex eo, quod cessionem bonorum vendi-  
tio sequitur, concludere, ipso jure infamiam esse irrogatâ debito-  
ri, qui bonis cessit. Inprimis, cum hæc non nomine debitoris, ut  
illa, sed creditorum nomine fiat, *Cujac. in parat. C. h. r. Gi-  
phan. d. loc.*

85. Quod si tamen in quibusdam locis, quorum supra  
quædam notavimus, consuetudo est, ut cessio fiat modo igno-  
minioso, ibi cedens vix effugiet infamix notam. *Tholos. d. c. 11.  
n. 9. VVesemb. Giphan. & Bach. dic. loc.* Quemadmodum volunt qui-  
dam, inter quos sunt *Menoch. de arb. Jud. qq. Cas. 153. n. 23. Tholos. lib.  
22. c. 8. n. 6. Brun. q. prin. 3. n. 6.* illos qui ita in honestè cedunt bonis,  
nullo modo amplius esse obnoxios creditoribus, etiam si pin-  
guiorem nacti fuerint fortunam. Quia, dicunt, ignominia est  
quædam poena corporalis, quæ loco solutionis sufficiat, per gl.  
*in Cap. sicut dignum 5. vers. si habent in facultate, & glos. vers. Sed ubi  
in paupertatem, in C. peccatum 4. de R. Jur. in 6to.* Quæ tamen  
sententia, licet eam in quibusdam locis de consuetudine servari,  
testetur *Brun. q. prin. 3. n. 6.* cum nulla lege confirmetur, non placet  
nec vera videtur *Covar. lib. 2. var. resol. c. 1. n. 6. in fin.* Cum quo facit  
*Giphan. d. c. 27.*

86. Oportet jam de effectibus cessionis à parte credito-  
ris quædam afferre. Primus est & præcipuus, sub quo plures  
comprehenduntur: quod debitor bonis exiit, eaque credi-  
toribus (quibus hic, ut missionem petant, non opus esse, cum ip-  
se debitor cedat, statuit *Giphan. d. c. 27. pag. mi. 220.* aliter ten-  
sit *Tholos. d. lib. 22. c. 11. n. 3. & nonnulli alii*) traduntur vendenda, ut ex  
redacto pretio, quantum fieri potest, suum cuique solvatur, &  
pro portione præstetur, *l. si debitor 5. ff. de Curat. bon. dan.* & sic  
venditione illorum factâ indemnitati suæ consulant. *l. 4. C. Qui  
bon. ced. pos.*

87. Ad cujus rei expeditionem crediores, vel privato  
consilio possunt coire, & eligere unum per quem bona distra-  
hantur *l. fin. ff. de Curat. bon. dan. VVesemb. in jam d. Tit. n. 2. Benven.*

STRAC.



*Strac. de Decret. par. 2. par. ult. n. 6. vel, si inter se non conveniant, aut  
nemo velit id onus sponte subire, quod invito imponi nequit  
l. 2 § 3. d. tit. à magistratu curatorem, curatoresvè petere d. l. 2. in pr.  
d. t. de car. bon. dan. arg. l. 8. in fin. de Reb. aut. jud. pos. Menoch. de arb. jud.  
qq. c. 183. n. 19. Brun. q. prin. 18. n. 9. Strach. d. loc. Tholo. d. c. 11. n. 3. Quan-  
do verò statim curator dari non potest, iudex interim inventa-  
rium bonorum fieri curet, vel ea sequestret, postulantibus cre-  
ditoribus, ne subtrahantur, & ut omnibus consulatur, Thol. d.  
cum, 3. Brun. d. q. prin. 18. n. 26. Neque cogendus est unus ex credi-  
toribus pluribus, bona suscipere cum onere solvendi cæteris,  
l. 4. C. de bon. aut. jud. pos. ibique Bald. Tholo. d. n. 3. in fin.*

88. Nec creditores bona cessa sibi adjudicari jure postu-  
lant: nam distrahenda illa sunt, l. 6. C. de bon. aut. pos. ibique Barr.  
l. 4. C. h. t. Si tamen nullus emptor accesserit, in subsidium de-  
mum ad dationem in solutum seu additionem admittuntur arg.  
l. 15 § 3 ff. de Re jud. & l. 3. C. de Execut. rei jud. Strac. d. par. 2. par. ult. de  
Decret. n. 5.

89. Cessione ergò creditores dominium non statim  
adipiscuntur, sed jus saltem vendendi l. 4. C. h. t. Ritterh. ad §. fin.  
Inst. de Act. quippe is, qui cessit, ante venditionem suis non caret  
bonis. l. 3. ff. h. t. Et in hoc maximè differt à datione in solutum  
d. l. 4. in fin. C. h. t. Ibolof. d. c. 11. n. 2. Rittersh. in Expos. Nov. par. 2.  
1. 3. n. 18.

90. His utique consequens est, posse debitorem, licet  
cessio sit facta rebus aduc integris, cessionis pœnitere, seque  
defendendo efficere, ne bona ejus veneant, d. l. 3. & 5. ff. hic. l. 2.  
C. eod. Bart. ad l. 3. n. 2 & ad l. 8. n. 4. b. t. Jason. ad fin. n. 23. Inst. de Act. Mar.  
Brun. q. 14. prin. n. 2. Rittershus. d. loc.

91. Dubitari potest: an omnia creditoribus sint ceden-  
da? Resp. omnia cedi, nihilque penes debitorem remanere de-  
bere, ne unum quidem denarium: Sed esse eum excutiendum  
ad peram, & sacculum glos. in l. pen. ff. h. t. Bald. in l. ult. n. 5. C. eod. Ja-  
son ad §. fin. n. 2. Inst. de A. & ibid. Schneid. n. 16. Tholos. d. l. 22. c. 8. n. 3. Gi-  
phan d. c. 27. pag. mihi 220. in fin. & pag. seq: Cujus assertionis hæc po-  
test reddi ratio: quia certis tantum personis speciali ratione con-  
cessum,



cessum, ne ultra teneantur, quam facere possunt, sed ut retineant alimenta, ne egeant. Quod sanè beneficium, si contrarium obtineret, indistinctè omnibus creditoribus esset commune, & contra rationem juris non amplius privilegium. *Vvesenb. Conf. 50. n. 17. Bach. vol. ult. ad Treut. disp. 24. th. 4. lit. D.* Ad hæc ipse *Justi. in Nov. 135. in*, qui fortunæ iniquitate pauperes facti sunt, necessitatem cedendi bonis imponi noluit, ne, ut loquitur *in fin. prin. d. Nov.* ad quotidiani victus, & amictus corporis inopiam redigerentur.

92. Verum æquitati convenit limitatio illa, quâ duram hanc sententiam circumscribunt: quod scilicet cedenti vilis vestis, seu quâ quotidie utitur, sit relinquenda, quæ etiam ad mortem damnato non denegatur, *l. Divus. 6. de bonis damnat.* Et sic præter citatos sentit *Barr. in l. pen. n. 5. h. t. Covar. var. resol. lib. 2. c. 1. n. 5.* Sunt, qui humaniores, & magis misericordes erga cedentem debitorem sese præbent, & cum vestes, tum aliquid victus gratia ipsi tribuunt, uti *Brun. q. prin. 3. n. 9. cum glos. & Canonist. in cap. student. 36. dist. 50. & C. Odoardus. 3. Extr. de solut.* Huic opinio astipulatur *Mecklenburgische Hoffgerichts Ordnung. d. loc. Licet eam à Jure Civili, & ab usu alienam perhibeat Giphart. d. c. 27. pag. mibi 221.*

93. Ea sanè bona, quæ alienari nequeunt, quæ sunt feudum, usufructus, emphyteusis non cedit debitor, sed saltem eorum commoditates, & fructus; quæ ipsa utilitas, seu commoditas cessabit in creditore accipiente, simulatque feudum, & similia in debitore dante extincta fuerint, *arg. l. 2. §. fin. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 3. §. fin. ff. Quibus mod. usus. amit. l. 66. ff. Solut. matrim. §. 3. Inst. de usus. Bald. in l. 1. n. 10. C. h. t. lason ad §. fin. n. 27. Inst. de Act. & ibi Schneid. num. 16. Brun. q. prin. 3. n. 18. Giphart. d. loc. pag. mibi 221.* In feudo ita limitat hoc *Bach. d. Disp. 14. lit. D.* ut relinquatur vasallo, unde servitia domino præstare possit.

94. Filiosam, cedente non tantum peculium Castrense vel quasi Castren: in cessionem veniunt; sed etiam profectivum. Quia, præterquam quod ex contractu filii tenetur pater, quatenus peculium patitur. *§. 4. in prin. Inst. Quod cum eo, qui in al-*

E

potest:



potest. & passim in tit. ff. eod. & in tit. de pecul. verba illa in l. 7. C. h. t. Vel quod patre volente possident, non nisi de profecticio peculio accipi posse videntur: quoniam sepe ratum ibidem fit mentio castrensium, & quasi castrensiu, & adventurorum, in verb. que patribus acquiri vetita sunt.

95. Ex eadem lege 7. C. h. t. notandum, quod qui in potestate parentum sunt, etsi nihil in censu habeant, tamen cedere possunt. Idque ratione spei fieri, dicit Bald. ibid. n. 2.

96. Et tantum de quarto nostræ disputationis membro dixisse sufficiat. Restat, ut pauca quædam de Nov. 135. adjiciamus. Sanè Justinian, ipsâ valdè imminuit, adeoque in totum ferè sustulit jus cedendi: quia statuit, ut debitor, qui fortunæ durioris iniquitate citra suam culpam facultatibus lapsus est, sine lamentabili cessionis beneficio, liberetur ab omnibus creditorum molestiis, si modo ejuret bonam copiam h. e. si jusjurandum præstet se non esse solvendo: quod supra ubi: ex Varrone per C. Popilium in Remp. Rom. introductum fuisse probavimus. Cedantur tamen simul creditoribus in hoc casu omnes, quæ debitori competunt, & competituræ sunt actiones, ut, si quid aliunde exigere possint, & solutionem adipisci, sibi habeant, & in lucro ponant.

97. Verùm, cum neque in Epitomas & Authenticas latinas relata sit ista Nov. neque ab ullo veterum Interpretum latinorum commemorata, tamen si locis infinitis de bonor. cessione disputent, videtur illa in desuetudinem abijisse, & revocatum jus ff. & C. ut non aliter obæratu. possit vincula & alia incommoda declinare, quam bonis cedendo Hort. Illust. q. 26. cir. fin. Rittershus. ad d. Nov. in expoff. Novell. par. 9. cap. 30. Proinde ejus, ut & recentioribus ex Græcis exemplaribus insertæ, & prisca Interpretibus incognitæ, vix in foro haberi ratio poterit. Bach. d. Dissp. 24. th. 4. lit. b. in fin. Giphart. d. c. 27. pag. mihi 213. dicit: ejus jure hodie nos non uti.

98. Coronidis loco huic materiæ cognatam illam Juris nostri sanctionem annecto: Debitoris defuncti sepulturam impedire, ejusque corpus arresto desinere, donec debitum exsolvatur, credi.



6  
creditori non licere l. 38. ff. de Reliq. & sump. funer. l. fin. cum Authen.  
seq. C. de sepul. viol. quæ Authen. desumpta est ex Novell. 60. c. 1. Ubi  
contrarium attentanti pœna hæc indicitur quadruplex. 1. Actio-  
ne cadat. 2. Quantum deberi sibi dicit, tantum aliud super exi-  
gatur ab ipso, & detur injuriatis hæredibus. 3. Confiscationem in  
tertiam partem suæ substantiæ sustineat. Et 4. Infamiâ feriatur.  
Neque consuetudo, quæ ab hac lege recedit, valeat: quia juri,  
æquitati, atque humanitati repugnat, arg. d. Nov. c. 1. in fin. prin-  
cid. Covar. 2. var. resol. c. 1. n. 10. Gometz rom. 2. Resol. c. 11. n. 56. & me-  
ritò illis statutis annumeratur, quæ abrogantur & rejiciuntur  
per Carol. V. in Crim. Const. art. 218. in fin. Ambrosium huic perva-  
sæ consuetudini se & verbis & opere opposuisse videmus ex ejus  
lib. de Tobia c. 10.

99. Sublito hîc, & finem facio cum Jason. in tit. Inst. de Act.  
n. 30. his verbis: si quid in hoc qualicumque scripto repertum fue-  
rit, quod sit minus benè dictum, precor unumquemque lecto-  
rem, ut non livoris aculeo, & detractionis studio, sed charitati-  
vo calamo emendandum suscipiat. Scio enim nec inficior,  
quod materia hæc majori eliminatione  
indigeret.

## Deo Soli Gloria.

---

### In honorem Dni: Respondentis.

**U**T nunc vere novo pubescit gramine campus,  
Hortusq; flores parturit.  
Ceus tellus herbas post brumæ frigora fundit,  
Comas & arbor explicat:  
Non aliter, PAPKI, studiorum germina promissis,  
Novisq; vernas flosculis.

Frondebis



Fronibus exornas Themidis delubra, BONORUM  
De CESSIONE disputans,

Gratulor hos flores: faxit, qui cuncta gubernat,  
Fructus ut edant uberes.

Non livor illos lædat, nec fascinet osor.

Vis plura? jungo paucula:

In Christi laudes hæc, & tua commoda cedant

De CESSIONE LEMMATA.

scrib,

Præses.

---

Præstantiss. Dn. Respondenti amico meo  
dilecto.

**P**Apkeni Charitum soboles, Themidosq; medulla  
Urbis varniacæ nobile delictum,

Quanta tibi in studiis solertia, quantus & ardor,  
Hoc satis hæc juris lemmata docta probant;

Fontibus ex legum nam monstrant, atque bonorum  
Cessio quæ fiat, quidq; sit illa, docent.

Ingenii, dicam, sunt hæc vis vivida, magni,  
Et quod, crede mihi, juris amore calet.

l. m. g. f.

Joachim Luffow D.

